



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

274. De eadem re.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

pauper aut opulenta. Sed qualiscunque illa fuerit, una est fornicatio. Ita in furto, quantumcunque quis abstulerit, furti crimen incurrit.

De eadem re. *Augustini dicta.*

August. in
Exod. q. 39.
Burchard. lib.
11. c. 53.

CCLXXIII. Dixit Dominus ad Moysen: *Accipiat unusquisque à proximo suo & proxima vasa argentea & aurea & vestes &c.* Non hinc quisquam exemplum sumendum putare debet ad expoliandum proximum. Hoc enim Deus iussit, qui noverat quid quemque pati oporteret. Nec Israëlita fecerunt; sed Deo iubente ministerium præbuerunt. Quemadmodum cum minister occidit eum quem iudex iussit occidi; profecto si id sponte faciat, homicida est, etiamsi eum occidat quem scit à iudice occidi debuisse.

Item Augustinus.

August. in
Exod. q. 71.
Burchard. lib.
11. c. 54.

Pœnale est occultè auferre. Multò majoris pœnæ est visibiliter eripere. Auferre ergo nolenti, sive occultè, seu palam, habet præceptum suum. Furti enim nomine bene intellegitur omnis inlicita usurpatio rei alienæ. Non enim rapinam permittit qui furtum prohibuit, sed utique sub furti nomine & rapinam intellegi voluit. A parte enim totum significavit quicquid proximo auferitur.

De eadem re. *Ex Capitularibus.*

Lib. 6. Capitular. c. 96 & in Capitulis Karoli Calvi

CCLXXIV. Si quis infra regnum rapinam fecerit, aut cuiquam nostro fideli aut ejus homini aliquid vi abstulerit, in triplo, cui ra-

lit, legibus componat, & insuper bannum nostrum persolvat. Postmodum verò ante nos à Comite adducatur, ut in bastiniaco retrusus usque dum nobis placuerit, pœnas luat. Nam si publicè actum fuerit, publicam inde agat pœnitentiam juxta sanctorum canonum sanctiones. Si verò occultè, sacerdotum consilio exinde agat pœnitentiam: quoniam raptores, ut Apostolus ait, nisi inde veram egerint pœnitentiam, regnum Dei non possidebunt. Qui verò de rebus Ecclesiarum aliquid abstulerint, gravius inde judicentur: quia sacrarum rerum ablatio sacrilegium est, & sacrilegus vocatur qui exinde aliquid tulerit. Extorres namque à liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ tales personæ usque ad satisfactionem Ecclesiæ, quam læserunt, sunt habendæ atque firmiter denotandæ. [*Pars ultima istius capituli diversa est ab editione quæ extat in libris Capitularium. Sed convenit cum ea quam exhibent Capitula Karoli Calvi.*]

Tit. 20. pag. 158. & Tit. 27. pag. 249.

De eadem re. *Ex Pœnitentiâli.*

CCLXXV. Si aliquis de ministerio Ecclesiæ quolibet modo aliquid furatus fuerit, septem annos pœniteat.

Bur. hard. lib. 11. c. 65.

De eadem re. *Ex Concilio Vvormaciensi.*

CCLXXVI. Sæpe contingit ut in monasteriis furta perpetrentur. Idcirco statuimus ut quando ipsi fratres de talibus se purgare debent, Missa ab Abbate celebretur, vel ab aliquo præsentibus fratribus. Et sic, expleta Missa, omnes communicent in hæc verba:

Concil. Vvormac. c. 15. Burchard. lib. 11. c. 66.